

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską**

Rękopis Biblioteki Opactwa Św. Floriana Austria (Stiftsbibliothek St. Florian), sygn. 551/XI, k. 48–48v

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 55 [Gn. 53]

[55] Si^a vulneratus vir ad iudicium decuctus fuerit cum clamore in facto manifesto, et si ita imbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sua procedat querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocato, extunc in sententia requiro, qui per sententiam insidias per aliquem pati debeat, quam iure tenere debeam aut sustinere, cum suam causam propter iuris exigenciam teneo”. Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc petat correccionem. Cum obtinuerit, tunc petat colloquium pro consilio, extunc cum colloquium [k. 48v] habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc^b per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc interroget per sententiam seu sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo suam recepit aut habuerit lesionem, vel in eo pacis federa infregerit. Extunc queratur sentencialiter, si interrogari debeant circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid audierint. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita responsiva sua, tunc in sententia requiritur, si iam profecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, extunc eciam interrogetur secundus et tercius, quod sic profecerit. Deinde querelam incipiat: “Domine iudex, multis^c audire verba huiusdem^d attente”. Tunc hic N conqueritur Deo et vobis super N et P, quod ipsi venerunt intra municipale, et pacem in eo infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et spoliaverunt ipsum corpore et rebus, et pro quo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando ter vocati fuerint per clamorem, tunc conqueratur ulterius et nominet malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciat tercia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non comparent, duellum in eis acquiri potest.

^a zostawione miejsce na ozdobny inicjał S wysokości dwu wersów, zaznaczone niewielkie s; ^b nadpisane; ^c w rękopisie wltis; ^d odczyt niepewny

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]